



BAlduinus ille ex Balduino comite in Hennengau & Margaretha (Philippi Alfatae comitis Flandriae sorore) natus est. Cum autem Philippus in Syriam proficisceretur, atque prole careret, sororem testamento haereditem fecit. Itaque Balduinus post parentum obitum comes in Hennengau & Flandria creatus est. Erat is magna corporis & animi fortitudine conspicuus, praeterea insigni pietate praeditus. Cum itaque Christianorum res in Syria periclitaretur, atque Hierosolyma cum alijs locis a Sarracenis occupata essent, ipse maiorum exempla imitatus, una cum fratre suo S. Pauli comite & cum instructo exercitu mare transire, atque Christianis succurrere statuit. Itaque Philippi Caesaris, & Philippi Francorum regis opera usus, maximum exercitum apud Germanos & Francos collegit, atque Venetias versus iter intendit. Ibi Veneti sese huius expeditionis socios praebuerunt, ea tamen lege ut inter eundem Balduinus loca quaedam, quae a Venetis defecissent, recuperaret, atque Venetis restitueret. Praeterea quicquid eo bello acciperetur, ut tertia pars Venetis cederet. Cum hoc modo maris Dalmatici littus legerent, Alexium puerum Isaacii Constantinopolitani Caesaris filium obusam habuere. Is patris miseriam deplorans, ostendit qua ratione a fratre Alexio captus & deoculatus fuerit, atque eorum opem contra patrum implorat, ut patre liberato auitum Imperium recuperare posset. Pollicetur etiam ipsis magnam pecuniam, atque in Sarracenos subsidium. praeterea ecclesiam Graecam Romano pontifici subiicit. Eo foedere inito ipsi Constantinopolim mouent, atque cathena, quam Alexius uenientibus obiecerat, disrupta, urbem ipsam obsidione fatigant, & tandem Alexio interfecto ui occupant. Itaque uictores Alexium iuniorum Imperatorem creant, atque patrem eius ex carcere liberant.